

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 4276

**Auteur(s) :** Raoul de Feraville [autre]

**Bénéficiaire(s) :** La Lucerne-d'Outremer, Sainte-Trinité de La Lucerne (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1207

**Action juridique :** échange

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Raoul de Fraville, chevalier, notifie l'accord conclu entre lui et l'abbé et les chanoines de La Lucerne sur l'échange des dîmes de Tribehout.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Luzerne, n° LVIII, p. 50-51.

## Dissertation critique

Dubosc indique 1217 : cf. confirmation par Hugues, évêque de Coutances, au n° 4277 dans Scripta

Texte établi d'après a

Universis Christi fidelibus ad quos presens scriptum pervenerit Radulfus de Feravilla, miles, salutem. Noverit universitas vestra quod cum abbas et canonici de Lucerna duas garbas decimarum totius feodi Willelmi Bassi et duas garbas decime tocius dominici Willelmi de Insula in Rameia apud Tribehout, a triginta annis, et eo amplius, pacifice in elemosinam possedissent, tandem domini Hugonis, Dei gracia Constanciensis episcopi, et aliorum virorum prudentum consilio, talis excambiatio de predictis decimis facta est: ita videlicet quod predictae decime capelle Sancti Thome de Mesnil Witer remanserunt, et ego Radulfus predictis canonicis sex quarteria frumenti, ad mensuram de Tribehou, in excambiatione dictarum decimarum, in feodo Ambrosii de Rameia apud Tribehout perpetualiter in elemosinam assignavi, tali forma quod ipsi canonici in totali feodo prenominati Ambrosii et heredum suorum, nisi annuatim redditum suum in festo Sancti Michaelis habuerint, pro eodem reddito plenariam justiciam exercebunt ; homagium vero de predicto Ambrosio et de heredibus suis habebunt, et pro detentione redditus sui et pro forifacticis emendam rationabiliter judicatam obtinebunt. Et sciendum quod si ego Radulfus, vel heredes mei, in prefatum Ambrosium vel in heredes ejus, occasione hujus excambii, vel in alias elemosinas predictorum canonicorum, ubicunque fuerint, molestiam vel injuriam faceremus, predictae decime et etiam istud excambium in puram elemosinam jam dictorum canonicorum, absque contradictione mei vel heredum meorum, libere revertentur. Preterea ego Radulfus dedi et concessi, pro amore dei et pro salute anime mee, abbacie de Lucerna et canonicis ibidem deo servientibus duos boissellos frumenti in dominico meo quod Robertus Vasallus tenebat de me apud Tribehout ; preterea tenementum ejusdem Roberti Vasalli, et piscariam de Veteri Roma, et dimidiam acram terre juxta cimiterium ecclesie Sancti Martini de Tribehout, et eandem ecclesiam cum omnibus pertinenciis suis, et unam acram terre in Insula de Tribehout, ex dono Roberti Nepotis, jam dictis canonicis in elemosinam perpetuam, liberam et quietam de omni exactione seculari concessi. Hec omnia bona

fide tenenda, sacramento corporaliter prebito, in presencia domini Hugonis, dei gracia Constanciensis episcopi, et multorum aliorum, solempniter compromisi. Ut autem prenominata excambiatio, et duorum boissellorum frumenti elemosinatio, et dictarum elemosinarum confirmatio futuris temporibus perpetuam obtineant firmitatem, presenti scripto et sigilli mei testimonio dignum duxi roborare. Actum est hoc anno verbi incarnati M. CC. septimo, testibus multis.